

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Petri Apostoli Posteriolem Paraphrasis Per Des. Erasmum  
Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

IN  
 EPISTOLAM PETRI APOSTOLI  
 POSTERIOREM  
 PARAPHRASIS  
 PER  
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

- 1 **S**imon Petrus, quondam mosaicae legis cultor, nunc servus ac legatus Iesu Christi, cuius evangelium, veluti lux discutit ac dispellit omnes umbras veteris testamenti, absque delectu, seu gentis, seu religionis, seu sexus, seu status, aut conditionis, omnibus scribo. Omnes enim nobis cognatos ac coniunctissimos ducimus, quicumque nobis aequari meruerunt in evangelicae fidei professione, per quam nobis contigit vera iustitia, non per circumcisionem, aut legis hostias, sed per bonitatem Dei nostri, perque mortem servatoris nostri Iesu Christi, qui gratis condonavit nobis vetera peccata, ut posthac sequamur iustitiam evangelicam, quae sita est non in ceremoniis, sed in vera animi pietate, et habet quiddam longe perfectius iustitia iudaica,
- 2 quae verae iustitiae umbra duntaxat est. Precor autem, ut quemadmodum haecenus abunde profecistis in evangelica gratia, semper aliquid addentes pietatis incrementis, et in dies arctius adstringentes fraternam inter



vos concordiam, ita consummare dignetur divina benignitas in vobis sua munera, quae bona hoc magis vobis accrescunt, quo magis promovetis in agnitionem Dei patris, et huius filii domini nostri Iesu Christi, quos vere agnoscere vita est aeterna. Est enim caput salutis, auctorem salutis agnoscere, ne quid hinc arrogemus meritis ac viribus nostris, aut praescriptis mosaicae legis, quum quidquid ad veram vitam, quidquid ad veram pietatem pertinet, illius divina virtus nobis largita sit absque praesidio circumcisionis, tantum per fidem, qua cognoscimus Deum patrem, a quo proficiuntur omnia, et Iesum Christum, per quem unum nobis donantur omnia. Non haec praestantur meritis nostris, sed illius gratuita munificentia, quae ulro vocavit nos ad beneficium salutis, et ingloriis ac virtute vacuis impartivit suam et gloriam et virtutem, ut qui nostris vitiis addicti, veluti sordida foedaque mancipia serviebamus idolis, infiti Christo redderemur et puri et gloriosi, sublatis sceleribus, quibus foedabamur. Nostram ignominiam in se transtulit, ut ulro in suae gloriae consortium cooptaret. Nostra commissa in se recepit, ut nos illius innocentia gauderemus. Iam haec ipsa maxima sunt, at longe maiora magnificentioraque sunt, quae nobis promittuntur in posterum, non per Mosi legem, ut saepe iam diximus, sed per agnitionem Iesu Christi. Quid autem promittitur? Nimirum ut etiamsi ad genus iudaicum non pertinetis, tamen efficiamini pariter consortes divinae naturae, allecti in numerum filiorum Dei, possessuri haereditatem immortalis vitae, si modo hic interim incorrupta vita quamdam immortalitatem meditemini, ac refugeritis ab omni corruptione vitiorum et cupiditatum, quibus infectus animus ad mortem tendit aeternam. Innocentiam semel gratis largitus est Deus, eam non satis est tueri, sed omni studio adnitentes satagite, ut benefactis locupletemini, ne fides sit otiosa, sed hanc comi-



- tetur probitas, ne quid agatur dicaturque, nisi quod honestum est. Probitatem excipiat scientia, ut non solum sequamini, quae recta sunt, verum etiam perspiciatis, quid, quo loco, apud quos, quatenus, et qua ratione sit agendum. Scientiam comitetur temperantia, ut animus invictus adversus omnes illecebras mundi, sine deflexu constanter sequatur id, quod optimum esse iudicavit. Temperantiae iungatur patientia, ut dum benefacitis, mala fortiter toleretis. Nam quos blandimenta mundi non emolliunt, hos aliquoties frangit impatientia malorum. Patientiae adfit pietas, ut quidquid agitis, aut patimini, ad Dei gloriam referatis. Pietatem comitetur fraterna caritas, ut quemadmodum Deum amatis propter ipsum, ita illius gratia diligatis omnes, qui Deum profitentur. Fraternali caritatem augeat cumuletque dilectio, quae benemereri studeat de omnibus, non solum de piis et christianis, verum etiam de impiis. Hi sunt fructus evangelicae fidei, qui si vobis adsint, atque etiam exuberent, efficient, ut quod per fidem agnovistis dominum nostrum Iesum Christum, non fuerit vobis inutile atque infrugiferum, etiamsi sitis a circumcissione alieni. Siquidem in his sita est summa christiana pietas, quae si cui defuerint, in frustra Christum professus est, quum ab evangelica luce relabatur in veteres tenebras, nec aliter quam coecus manu viam tentans, per ambages cupiditatum mundanarum circumagitur, neque cernit viam, qua perveniatur ad Christi consortium, ingratus etiam Christi beneficio, a quo quum sit semel gratis purgatus a pristinis commissis, tamen velut oblitus huius tantae clementiae, rursus in eadem relabitur.
- 10 Quapropter fratres, ne vos securos et oscitantes reddat, quod divina bonitas vos nihil promeritos vocavit ad professionem evangelicam, semel condonatis prioris vitae peccatis omnibus, imo tanto magis adnitamini, ne Dei bonitas, qua vocavit vos, qua delegit, vobis



vertatur in perniciem et cumulum damnationis, si benignitatis illius immemores, eo revolvamini, unde vos sua morte redemit. Quin potius ambite benefactis, ne Deus vos videatur frustra vocasse ac delegisse. Huius rei nonnulla pars in vobis quoque sita est. Et enim si cogitaveritis, unde vos vocarit Deus, ad quae vocarit, quae praemia proposuerit, et si ad haec iis rationibus contenderitis, quas paulo ante commonstravi, nusquam a recto pietatis cursu prolabemini. Siqui-<sup>11</sup> dem hac contenditibus aderit abunde divinum auxilium, suppeditabitque vobis opem suam, ut tandem victores huius mundi perveniatis in aeternum regnum domini et servatoris nostri Iesu Christi, potituri cum illo bonis coelestibus, cuius amore terrena contemistis. Amplissimum est praenium, sed summo conatu ambiendum. Quapropter non cessabo, vos unquam hisce<sup>12</sup> de rebus commonefacere, tametsi non arbitror esse necesse, quum et faciatis et memineritis, quid vobis sit agendum, iamque longo progressu pietatis confirmati etiam sitis, iam diu cognita veritate, quam hucusque constanter sequimini, semel amplexi. Sed tamen quo<sup>13</sup> magis ac magis vigiletis in eo, quod coepistis, partes meas arbitror, ut memor praecepti domini mei, qui iussit, ut ipse conversus confirmarem fratres meos, quamdiu vobiscum versor hospes super terram (\*) in huius corpusculi tabernaculo, expergeficiam atque exstimulem studium pietatis in vobis, atque eo sane magis,<sup>14</sup> quod sciam brevi futurum, ut exutus huius corpusculi domicilio, terrae exilium coeli municipio commutem. Nam id mihi significavit dominus noster Iesus Christus, cui haecenus milito in hoc tabernaculo. Nunc igitur<sup>15</sup> dabo operam, ut haec interim sic infigantur animis vestris crebra admonitione, ut possitis et post obitum meum meminisse, quum non licebit vos admonere voce. Quum enim certissimum sit, quod a nobis accepistis, non oportet ab eo deflectere. Neque enim do-<sup>16</sup>

(\*) Aliae: in terris



Erina nostra talis fuit, qualis philosophorum, qui fabulis arte compositis, et humanis argutiis persuadere conantur, quod ipsi non intelligunt, inter se quoque dissentientes. Nos haud quaquam ista sequuti, patefecimus vobis potentiam et adventum domini nostri Iesu Christi, et illius maiestatem, quam his oculis conspeximus, vobis praedicamus. Dignatus est enim suis aliquot ante mortem suam specimen aliquod exhibere, quanta cum potentia, quantaque cum gloria sit olim venturus iudex vivorum ac mortuorum, et quam admirabilem felicitatem sit largiturus iis, qui illum constanter diligunt. Quum enim Deus pater illum totum gloria ac decore convestisset, adeo ut vultus illius solis instar luceret, ac vestimenta nivis candorem superarent in tantum, ut humanus obtutus non ferret coeleste spectaculum, accessit et paternae vocis multo honorificentissimum testimonium, quae ad hunc delata est e sublimi a magnifica maiestate patris. Erat autem huiusmodi: *Hic est filius meus dilectus, qui complacuit animo meo, ipsum audite.* Nullum poterat edi testimonium, neque plenius, neque magnificentius. Atque id proditum est non a propheta quopiam, sed 18 ab ipsa patris maiestate. Haec oculis nostris adspeximus, haec auribus hausimus, quum praesentes essemus illi in monte sancto Thabor. Si maximum pondus apud vos habent prophetarum oracula, qui per aenigmatum involucria vaticinabantur de Christo, gravius esse debet ipsius patris de filio tam evidens praeconium. 19 Prophetae cum patris voce consentiunt, si modo quis recte interpretetur. Hi suis promissis veluti praeparant animos ad veritatem evangelicam, dum adumbrant, ac veluti delineant, quod palam exhibet evangelica praedicatio. Proinde non improbo, quod Iudaei vehementer intenti vaticiniis prophetarum scrutentur illic adventum Messiae. Est enim nonnullus gradus ad fidem evangelicam, credere Christum venturum. Nam citius



citius credet venisse, cui iam certo persuasum fuerit venturum esse. Bona spes est igitur de eo, qui nondum illustratus evangelica luce, prophetis attendit, ceu lucernae apparenti in obscuro loco. Praestat enim habere quaecumque lumen, quam nullum, donec adventante sole dies illucescat, qui dispellat omnem caliginem, et obscurat etiam ipsam lucernam, iamque exoriatur in cordibus vestris lucifer ille praedicationis evangelicae, qui solem ipsum adesse nuntiat. Prophe-  
 20 tarum vaticinia ita demum erunt usui, si qui legunt meminerint, scripturam prophetica figurarum involu-  
 cris obscuram esse, nec intelligi posse absque interpretatione. Ea interpretatio non est cuiuslibet, nec ar-  
 21 bitraria cuivis. Siquidem prophetae, qui vaticinia prodiderunt, non e suo sensu, animique arbitrio prodiderunt, sed quum essent homines sancti, purique ab omnibus humanis cupiditatibus, spiritus sanctus afflavit illorum animos, ac velut organis abusus, per illos nobis suam mentem utcumque significavit. Quod homines humano sensu proferunt, id potest humano ingenio percipi, caeterum quod afflatu divini spiritus proditum est, id requirit interpretem simili afflatum spiritu. Qui quod de Christo dictum est, ad mundanum aliquem regem accommodant, quod de coelesti vita, ad huius mundi felicitatem trahunt, quod de bonis animi dictum est, interpretantur de commodis huius seculi, multum aberrant a mystico sensu prophetiae, nec his facile persuadetur venisse Christum, quam ex falsa prophetiae interpretatione terrenum quemdam Messiam sibi finxerint, qualem ille non praestitit. Et ideo non agnoscunt illum, non quia dissideat ab imagine spirituali prophetiae, sed quod discrepet ab idolo falsae interpretationis.



## CAPUT II.

**Q**uisquis ex sui animi affectu vaticinatur, falso nomine propheta dicitur. Quisquis prophetae vaticinium ad suas cupiditates interpretatur, falsus est interpret. Fuerunt et olim apud Iudaeos pseudoprophetae, qui vel ad principis gratiam, vel ad quaestum, vel in odium aliorum vaticinabantur, non quod dictabat spiritus Dei, sed quod ipsi sibi confinxerant. Hi se pro veris prophetis gerentes, decipiebant stultos, ac veris prophetis obstrepabant suis mendaciis. Sic et post obitum meum exorientur, qui se falso nomine iactabunt esse doctores evangelicos, quum futuri sint magistri falsitatis. Hi deflectentes ab evangelica doctrina, inducent hominum commenta, pro salutari veritate ingerent sectas perniciosas, ad suum quaestum, ad suam gloriam ac tyrannidem spectantes potius, quam ad negotium Christi, atque eo vesaniae progredientur, ut ingrati dominum suum Iesum, cuius sanguine redempti sunt, cui semel dedere nomen, non vereantur abnegare, sceleratiores etiam ethnicis, qui Christum nunquam professi sunt. Quibus factis irritabunt in se divinam ultionem, et non solum nihil eis proderit semel fuisse Christum professos, verum etiam accersent sibi celerrimam interitum a vindice Deo. At parum erat, si soli perirent, qui iam perditum sunt, multos etiam secum pertrahent in exitium. Inveniet enim falsa doctrina suos discipulos, his freti audebunt obrectare evangelicae veritati, quam a nobis accepistis, neque sincere tractabunt sermonem evangelicum, quem vident ad suas cupiditates nihil conducere, sed intenti privatis lucris suis, fictis sermonibus imponent simplicitati vestrae, non hoc agentes, ut vos lucrifaciant Christo, sed ut ex vobis sibi quam plurimum auferant lucri. Vident enim evangelicam doctrinam parum esse plausibilem



his, qui capiuntur huius mundi deliciis, vident non esse rem delicatam, id quod nos facimus, per omnes mortes constanter adversus impios tueri sinceritatem evangelicæ doctrinae. Proinde vitiabunt illi veram Christi doctrinam, proque hac docebunt, quae sunt crassis auditoribus blanda magis, quam salutifera, quaeque ipsis rem et gloriam concilient apud mundum, non apud Deum. Mallent enim ob temporariam gloriam ac voluptatem, aeternum exitium et sibi parare, et aliis, quam per momentarias afflictiones corporis ad immortalem felicitatem eluctari. Cavete, ne hos duces sequamini, nisi recta velitis abire in exitium. Neque vos fallat, quod hic fastu praeminet, quod ditescunt, quod suaviter vivunt. Haud diu fruuntur hac usura falsae felicitatis. Ut enim pijs brevi contingant praemia sua, iam olim apud Deum decreta, ita his sua decreta poena prorsus accelerat, neque dormitat illorum perniciēs, subito securos et oscitantes oppressura. Hominum iudiciis poterunt imponere, Deum fallere non poterunt. Ut illis ignoscant homines, apud quos valent auctoritate, Deus non ignoscet, qui nullius magnitudinem veretur. Cur enim his nunc parcat, qui olim nec ipsis pepercit angelis, qui peccarant, sed e coelo praecipitatos, vinctos aeternae noctis catenis, in tartari carcerem detrussit, servatos in hoc, ut extremo iudicio damnati dedantur aeternis suppliciis? An in hominibus feret impune superbiam, qui non tulit in angelis? An his erit impune, quod faciunt post evangelicam lucem patefactam, post tot beneficia gratis collata, qui nec rudi ac prisco mundo pepercit, sed offensus hominum vitiis, orbi sceleribus inquinato diluvium induxit, deletis omnibus, excepto Noe, quem octavum ex tam immensa mortalium multitudine voluit esse incolumem, quod caeteris contempta Dei lenitate, solus exstructa arca testaretur, sese metuere vindictam omnipotentis. An hos non puniet, qui tot civitates,



ac tam florentem regionem Sodomorum et Gomorrhoeorum sulphurea pluvia redegit in cineres, atque ita funditus evertit, ut nihil superfit, praeter horrendum ac pestilentem lacum, qui testetur, quae poena maneat illos, qui similibus flagitiis in se provocarint iram Dei?

**7** Atque ut illis sua impietas fuit exitio, ita Loth sua innocentia saluti fuit, cui quum homines nefarii vim pararent, et abominandis libidinibus suis castum ac iustum virum opprimerent, Deus illum eripuit e commercio sceleratorum, inter quos erat illi gravissimum

**8** vivere. Quum enim esset ipse et oculis et auribus purus castusque, grave supplicium erat animo pio audire quotidie, videre quotidie, quae toto pectore detestabatur.

**9** Ex his satis declaratum est, nunquam committere Deum, ut cuiquam sua innocentia sit frustra, aut ut cuiquam sua impietas sit impunita. Etiam si ad tempus leniter fert aliquos, ut aliquando resipiscant, etiam si patitur suos ad tempus aliquando tentari, tamen quum tempus adest, novit ab afflictionibus eripere pios, contra novit impios reservare puniendos aeternis suppliciis in diem extremi iudicii. Nul-  
**10** lum genus iniustitiae finetur impunitum. Sed praecipue poenas daturi sunt, qui ceu diffisi promissis evangelicis, hic sequuntur quidquid corpori collubatum sit, fervientes foedis libidinibus, quibus undique conspurcant omnem vitam. Quoque sceleratiores sint, turpitudinem violentia conduplicant, contemnunt auctoritate publica praeditos, audaces, praefracti, qui dignitate praeminentes non verentur convitiis inces-  
**11** sere. Et haec audent homunculi, quum angeli longe praestantes viribus ac robore, licet alias impii, non tamen eo sint audaciae progressi, ut sustinuerint Deo maledicere, et qui in caeteris neglexerunt Dei voluntatem, in hoc tamen veriti sunt illum offendere, de-  
**12** ferentes auctoritati divinae. At isti spiritibus impiis sceleratiores, ceu bruta pecora, nata in hoc ipsum, ut capiantur ac perdantur, quum non vereantur praefectis



suis obtreſtare ac maledicere, ignorantes interim illud  
 ipſum, cuius gratia de illis maledicunt, quemadmo-  
 dum corruptis ſuis moribus accerſunt ſibi perniciem,  
 ita pecudum ritu peribunt, percipientes impiae vitae  
 dignam mercedem, qui quidem exiſtimant ſuavem ac<sup>13</sup>  
 magnificam eſſe vitam, ſi prorsus exuto omni pudore,  
 luci quoque, luxui, foediſque voluptatibus indulgeant.  
 Nam nonnullus adhuc pudor habet illos, qui haec no-  
 ctu faciunt. Quis iſtos credat homines? Labes ſunt  
 verius et maculae, qui in foediſ illis ſuis comeſſationi-  
 bus, in quibus miſerabili errore ponunt ſummam feli-  
 citatis, vobis inſultant velut inſanis, qui praesentis vi-  
 tae commodis non fruamini. Atque interim luxus in-<sup>14</sup>  
 vitat libidinem, quumque vino madent, oculos habent  
 libidinantes, neque quidquam aliud cogitantes, quam  
 adulterium, aut alia flagitiorum genera. Neque enim  
 ſemel excuſſa ratione, ſemel inflammati vino, norunt  
 a peccando ceſſare, ſed a flagitio properatur in flagi-  
 tium, adeo ut non fat habeant, ſi ipſi perditae vivant,  
 ni et aliorum animos nondum virtute confirmatos, ad  
 ſuam turpitudinem pelliceant atque inſcent. Iam for-  
 taſſe tolerabilius ſit, ſi tantum luxu libidineque pecca-  
 rent. Nullum vitii genus abeſt. Ut turpiter prodi-<sup>15</sup>  
 gunt quod habent, ita turpiter parant quod profun-  
 dant, habentes animum et ingenium ad avaritiam, ad  
 fraudem, ad rapinam exercitatum, quaestus gratia ni-  
 hil non facientes, ob lucrum male precantes piis ac bo-  
 nis, et pecunia corrupti deſlectunt a via recta, et in  
 hoc referentes patrem ſuum Balaam filium Boſor, qui  
 quum ſciret optima, tamen iniqua mercede corruptus,  
 maledicere ſtudit iis, quibus propitius erat Deus, eo-  
 que caecitatis illum perduxit avaritia, ut ab aſina cor-<sup>16</sup>  
 riperetur, et quum homo veſanus mentem exuiſſet hu-  
 manam, brutum animal humana voce loquens, coer-  
 cuit prophetae dementiam, plus cernens corporeis  
 oculis, quam ille cernebat oculis animi, videlicet exocu-



17 latus pecuniae cupiditate. Hi sunt qui miram quam-  
 dam ac novam doctrinam pollicentur, quum nihil ad-  
 ferant dignum evangelica professione, similes fontibus  
 aqua carentibus, ad quos si sitiens accurras, praeter  
 sordes ac lutum nihil reperias, similes nebulis, quae  
 huc et illuc impelluntur procella ventorum, ac spem  
 faciunt pluviae terrae sitienti, quum interim ne gutta  
 quidem ab illis destillet doctrinae salutiferae. Promit-  
 tunt evangelicae doctrinae lucem, et involvunt tene-  
 bris errorum, quos aeternae manent tenebrae apud in-  
 18 feros. Quum enim verbis mendacibus magnifica quae-  
 dam professi sint, atque hac spe pellexerint et inescar-  
 rint eos, qui coeperunt ad meliorem frugem resipisce-  
 re, deceptos involvant carnis cupiditatibus, et huius  
 19 vitae voluptatibus, pollicentes se liberaturos alios ab  
 errore, quum ipsi versentur in summis erroribus, pro-  
 mittentes aliis libertatem a vitiis, quum ipsi servi sint  
 turpitudinis. Etenim a quo quisque superatus est, cu-  
 20 ius arbitrio vivit, huic iure servus dicitur. Neque  
 enim illis prodest, semel gratis ereptos fuisse a vitiorum  
 servitute, si suapte sponte eodem relabuntur, imo hoc  
 foedior est servitus, hoc miserior, quia post gustatam  
 libertatem ultro accersita. Quod commissum est ante  
 praedicatum evangelium, magna ex parte datur erro-  
 ri, datur ignorantiae. At qui semel agnito per evan-  
 gelii praedicationem domino et servatore nostro Iesu  
 Christo, per baptismum aufugerunt ab inquinamentis  
 huius mundi, ac vitam puram coelestemque professi  
 sunt, si rursus superati cupiditatibus, involvantur pri-  
 stinis sordibus, iis non solum nihil opitulatur baptismus,  
 verum etiam peiore in statu sunt, quam fuerint, ante-  
 quam Christum agnoscerent. Levius enim peccat, cu-  
 ius peccatum sublevat ignorantia. Gravius damnabun-  
 tur, qui crimen impietatis ingratitude vitio cumula-  
 runt. Itaque praestiterat illis, omnino non novisse  
 21 doctrinam evangelicam, quae docet innocentiam ac pu-



ritatem, quam post cognitam et acceptam desciscere a sancto praecepto, quod illis semel traditum fuit. Quid enim aliud istis accidit, quam quod vere solet proverbio dici? Canis resorbens id quod semel evomuit, et sus lota revertens ad volutationem in coeno. Frustra canis repurgavit vomitu stomachum, si repetit quod eiecit. Frustra sus limpidis aquis abluit coeni foetorem, si mox a lavacro redit ad fordes relictas.

## CAPUT III.

**P**uribus verbis haec inculco, carissimi, atque adeo iam alteris hisce literis eadem de re vos commonefacio, non quod dubitem de sinceritate mentis vestrae, sed ut quod scitis ac tenetis, magis ac magis memineritis, et quod facitis, faciatis alacrius constantiusque. Minus erit periculi ab illorum scelerata doctrina, si memores fueritis, hoc praedictum olim a sanctis prophetis, qui monuerunt, hoc hominum genus esse cavendum, sique memineritis, idem esse praeceptum a nobis, qui sumus apostoli domini et servatoris Iesu Christi, qui vetuit, ne quis huiusmodi, qui pro veritate evangelica perniciosam adferunt doctrinam, aures praebet. Illud igitur in primis scitote, venturos olim non praedicatores, sed illusores instructos praestigiis et imposturis, quibus fallant incautos, qui non sequentur ea, quae nos docuit Christus, sed ut vivent pro cupiditatibus animi sui, ita etiam pro libidine sua docebunt, quae tali vitae congruent. Quoniam illis turpiter viventibus non erit optabilis adventus domini, idcirco persuadebunt tum sibi, tum aliis, nunquam rursus adventurum, dicentes: Ubi est promissa resurrectio? Ubi iudicium? Ubi praemia diversa pro vitae meritis? Ubi adventus eius in dies singulos frustra expectatus? Existimabunt enim, nunquam futurum quod aliquamdiu

Fff 4



- differtur. Quod, inquit, vestigium resurrectionis? Mortem obierunt alii post alios patres nostri, neque quisquam adhuc revixit. Et quemadmodum ab orbe condito, morientium ac nascentium vicibus propagantur omnia, ita huc usque manet idem cursus naturae, quum ex mutatione mundi, quae praecessit, colligere
- 5 liceat novationem futuram. Et ut illa accidit non expectantibus iis, qui pro sua libidine vivebant, ita haec eveniet, siue credimus, siue non credimus. Nam illud latet istos, aut, quod magis reor, scire se dissimulant, quod olim conditi sunt coeli, simulque terra, quam aliqua ex parte nudabant aquae, quibus prius operiebatur, magna item aquarum vi in sublimi pendente.
- 6 Quumque genus humanum passim esset inquinatum vitiis, Deus offensus, immisso diluvio perdidit illius temporis mundum, servatis octo duntaxat, qui coluerant innocentiam. Hoc universale iudicium Deus tum exer-
- 7 cuit, per aquam purgans terram et innovans. Porro coeli sicut conditi sunt, haecenus perseverant, qui refervantur incendio, per quod et ipsi purgabuntur in die iudicii, quum per ignem perdentur impii, quemadmo-
- 8 dum olim per aquam perierunt. Quum igitur certissimum sit venturum diem illum, non refert admodum, ferius an maturius veniat. Illud tantum curandum nobis, ne quandocumque venerit, offendat nos imparatos. Nobis pro nostro animo quaedam longa videntur, quaedam brevia, at Deo nihil est neque breve, neque longum. In suis promissis non sequitur cupiditatem nostram, sed suum aeternum et immutabile consilium, cui nihil est neque praeteritum, neque futurum, sed omnia praesentia. Nobis autem quidquid promissit, exhibet tempore, quod ipse sibi praescripsit. Alio-
- 9 qui nihil apud illum interest, siue intercesserit unus dies, siue mille anni. Eadem fide praestat, quod ferius praestat, qua quod maturius. Iam enim quod ad ipsum pertinet, praestitit quidquid decrevit praestare. Non



enim mutato consilio hominum cunctatorum more recalcinat ac prorogat sua promissa, quemadmodum falso opinantur quidam, Deum e suis moribus metientes, sed aliquando spatium longius praescribit vestra causa, pro lenitate ac mansuetudine sua nolens quemquam perire, quod quidem in ipso est, sed cupit omnes aliquando resipiscere, ne qui pereunt, causari possint, sibi temporis spatium defuisse mutandae in melius vitae. Aderit autem ille dies inexpectatus, nec aliter obre-<sup>10</sup>pet mortalibus, quam fur nocturnus obrepat dormientibus. In eo tanta vis erit incendii, ut coeli magno impetu transitori sint in aliam speciem. Caeterum elementa, quibus inferior hic mundus constat, aestu solventur. Porro terra, quaeque in ea continentur, exurentur igni, totaque rerum natura purgabitur. Quod<sup>11</sup> si tunc oportet usque adeo omnia esse pura, ut haec etiam dissolvenda sint, quae non peccant, quantopere vobis adnitendum est, ut dies ille vos omni vitae sanctimonia, omnibus pietatis studiis integros ac purgatos reperiat? Id interim agendum magna celeritate, quo<sup>12</sup> semper parati sitis, quodcumque venerit ille dies Dei, cuius exactum iudicium nemini licebit effugere, qui usque adeo nihil feret impurum, ut coeli ardentis solventi sint, ut elementa aestuantia colliquescere cogenda. Post haec iuxta promissum illius exspectamus coe-<sup>13</sup>los novos, ac terram novam, quae nihil habeant corruptionis, nihil noxae, ut nos, in quibus nihil erit corruptae mentis, fruamur illis incorruptis. Quapropter<sup>14</sup> fratres carissimi, iudicium hoc tam rigidum semper prae oculis habentes, date operam, ut dominus adveniens vos reperiat puros et inculpato, non apud homines tantum, quorum iudicia saepenumero falluntur, verum etiam apud ipsum. Nam is demum purus est, qui Deo iudici purus est. Et si forte dies ille serius<sup>15</sup> advenerit, nolite sic interpretari, quasi venturus non sit, sed hanc domini lenitatem, qua facit omnibus spatium



ad poenitentiam, existimate consulere salutem hominum, Quibus de rebus scripsit vobis carissimus frater et collega noster Paulus, hoc copiosius, quo donum uberiorius sapientiae donavit illi Deus, et in omnibus fere  
 16 epistolis hortatur ad huius diei expectationem, nonnunquam ita loquens, quasi iam instet dies domini, quo magis extimulet studium pietatis, quum dies ille, quoniam incertus est, sic expectandus sit, quasi hodie venturus, sed ita, ut nemo certum praescribat  
 61 tempus. Haec atque alia quaedam Paulus pro sua sublimi sapientia admiscuit epistolis suis, quae quum ab ipso rectissime dicta sint, tamen imperiti parumque firmi, perversa interpretatione detorquent, quemadmodum et caeteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem, ut quod bonis est salutem, id ipsorum vitio vertatur istis  
 17 in venenum. Vos igitur fratres tot modis praemonitum a me, tum a Paulo, cavete ne fraude nefariorum hominum una cum caeteris seducti, excidatis a vestra  
 18 firmitate fidei, quam hactenus praestitistis, quin potius date operam, ut assidue crescatis ac progrediamini in donis et agnitione domini nostri et servatoris Iesu Christi, cui gloria et nunc in hac vita, et in aevum omne, Amen.

## PARAPHRASEOS

## IN EPISTOLAM PETRI POSTERIOREM

## FINIS.

VITA



## VITA SANCTI JUDAE APOSTOLI

PER

DIVUM HIERONYMUM.

**J**udas frater Iacobi parvam quidem, quae de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque reiicitur, tamen auctoritatem vetustate iam et usu meruit, et inter sanctas scripturas computatur.

IN